

litas tollitur, & quando lunæ difficulter fusibili adjicitur ipsum sulphur, prævia calcinatione facta, ab it non solum in massam friabilem, & quæ statim in igne liquefit; è contra si sulphur addatur saturno facile alias fusibili, & cum ipso calcinetur, difficulter fusibilis evadit saturnus, ut etiam vehementissimum ignem eludere soleat.

Respondetur
Objectioni

§. XXIII. Et quamvis reponi possit, metalla quidem ratione terrestris mixturæ admodum differre, terras tamen alias effœtas & steriles non adeò ratione figuræ & molis differentes esse: facile tamen hic nodus solvitur, adducendo experimentum, quo liquidissime patebit, etiam terras ubi sensibus non potest dijudicari diversitas, ratione figuræ, structuræ & texturæ admodum esse diversas. Nimirum notum est, ministros artis docimasticæ ad capellas in quibus nobiliora metalla ab ignobilioribus separari debent, armandas uti pulvere ex combustibus ossibus v. g. bovinis, cervinis, quem dicunt flûâr. Notabile autem est cineres ex combustis ossibus porcorum prorsus ad hunc usum esse inutiles. Tacemus quanta sit differentia inter bolum Armeniæ, terram sigillatam, creatam, argillam, lutum, arenam uti partim chymicis & mechanicis, partim etiam medicis notissimum est.

Colligitur ex
præcedentibus
quod initio
propositum.

§. XXIV. Ex hisce jam deductis liquidissime constare arbitror, Sal unicum tantum esse in natura, quo ceu aptissimo instrumento ad varias operationes perficiendas utitur, nim. acidum æthereum & hoc principium esse reliquorum omnium & pro diversa modificatione particularum terrestrium diversas larvas assumere. Ut autem hypotheseos nostræ veritas magis

gis